



PETRI RAMI GEOMETRIAE LIB. I. DE MAGNITUDINE.

I



GEOMETRIA est ars bene metiendi.

Finis geometriæ est bene metiri, ideoq; suo fine definitur: Bene metiri igitur est cuiusque rei mensurabilis naturam atque affectionem considerare, resque mensurabiles comparare inter se, rationemque & proportionem atque similitudinem perspicere: id enim totum est bene metiri, siue congruentia & applicatione datæ mensuræ, siue multiplicatione terminorum, siue facti per multiplicationem partitione, siue quacunque alia ratione rei mensurabilis affectio consideretur. Atque hic finis geometriæ, usu atque opere geometrico multo splendidior apparebit, quam præceptis, cum animadvertes astronomos, geographos, geodetas, nautas, mechanicos, architectos, pictores, statuarios in descriptione & dimensione astrorum, regionum, fundorum, machinarum, æquorum, ædificiorum, tabularum, signorum nihil aliud quam geometria uti: sicuti grammatica, rhetorica, logica plenius & abundantius percipiuntur ex usu poetarum, oratorum, philosophorum, quam é dictatis grammaticorum, rhetorum, logicorum: denique ut in grammaticis rebus bene loqui, in rhetoricis bene dicere, in logicis bene ratiocinari, in arithmetis bene numerare, sic in geometricis bene metiri sit finis summus atque ultimus: quo referantur & pertineant omnia, quæ totis geometricis elementis instituantur. Mensura verò in quolibet mensurabili genere est quidpiam minimum, ut Aristoteles innuit 4 cap. 2 de cælo, & Proclus in Timæum repetit, & vulgo á geometris famosa mensura dicitur, ut in metiendis palmis, pedibus, passibus, unus palmus, unus pes, unus passus. Sed enim Protagoræ antiquum dictum est, in Aristotelis philosophia hominem esse τὸ τῶν ἀπάντων χημάτων μέτρον omnium rerum mensuram, quod etsi alio quodam sensu usurpatur á Protagora, attamen libenter audio hominem natura geometricum esse: & Vitruvius Heroque mechanicus docent mensuras rerum ex humanis membris acceptas esse, digito, palmo, pede, cubito. Digitus est 4 granorum hordeaceorum, ut granum hordei minima mensura sit, palmus 4 digitorum, pes quatuor palmorum, ut sequitur.

Cubitus á radice ad extremum longissimum digitum est sesquipies. Ex iis mensuris oritur itineris mensura passus, stadium; milliarium. Passus geometricus est 5 pedum, stadium 125 passuum: & Græcorum est: milliarium mille passuum, & est

Aa